



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Hildegardis V. 17. Sept.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

582 VITÆ SANCTORUM. 17. Sept.  
Angelorum panem suspendit. Mox ven-  
ti insurgent & fluctus navim expugnant.  
At SATYRO naufrago non comnea-  
tus, non vela, remi, malus, non ancho-  
ra deest, omnia hæc adiunt in S. S. Eucha-  
ristiâ. Illo succollante, quem collo ipse  
ferebat, emergit; &, Anathema templo  
ipsum Servatorem suum gratus donat.  
Credidit in portu se esse, & fuit, non tunc  
quidem, sed paulò post, cum beatâ mor-  
te defunctus est. Verum tunc naufragum  
Ambrosium lacrymis vidisses. *Ex ipsâ*  
*D. Ambros.*

*Beatus qui sancta Communioni atque or-  
vationi tanquam celestis Angelus incum-  
bit, & mundis quotidie cogitationibus va-  
cat, neque aditum præbet improbo demoni,  
ut animum suum expugnet & abducatur à  
Deo Servatore. S. Ephrem in Beatitud.*

S. HILDEGARDIS V. 17. Sept.

**N**escio quid de HILDEGARDE sen-  
tiendum, mundumne deseruerit, an  
potius nunquam fuerit in mundo; quip-  
pe XII. annorum virguncula inter vir-  
gines sacras adlecta. Cælestia ab ipse  
cunis videre habuit, numque hæc prodi-  
dit, quando sermone non potuit. Lit-  
teras, quas nunquam didicit, scripsit  
tamen, easque non suâ linguâ: atque ut  
cantaturam scires olim, quod canere alii  
desperabunt, carmen, jam tunc absque  
docto-



17. Sept. VITÆ SANCTORUM. 583  
doctore scitissimè modulabatur. Vatum  
etiam sacrorum oracula fideique nostræ  
volumina legebat & explicabat puella, ut  
ipsissimam seculi illius Sibyllam Bernar-  
dus laudaret, & in concilio Rhemen-  
si Eugenius PP. probaret. Caterùm visa  
caelestia morbus comitabatur ferè conti-  
nuus, qui castigabat scilicet timidam,  
quoties proderet hominibus monita cælo  
data negligeret; fuitque, cum lecto affi-  
xam ita undique oppugnarunt dolores, ut  
cedere anima & velle deditioem facere  
jam jam videretur. Sed presidio Angeli  
venerunt è Primipili Michaëlis cohorte,  
qui atros Genios unaque morbos omnes  
in fugam egerunt. Dum porrò vixit, mi-  
ra egit innumera, lynceoque vultu ipsas  
cordis latebras inspexit, sensaque animi  
obtutu suo deprehendit. Funus illustra-  
vit iris gemina in cælo visa, hanc lux co-  
ronabat lunæ circulum referens, quem  
itidem crux ornabat, multiplici mox in-  
cremento innumera. Id miraculum su-  
per defunctæ domum descendit. Et as-  
cendere nos dubitamus tam familiariter  
invitati? *Ex Surio.*

*Beatus qui puris cordis oculis Deum sem-  
per intuetur, quique bonis ac honestis collo-  
quiis delectatur, & à pravis ac turpibus  
quæ bonos mores corrumpunt, abhorret;  
quoniam minimè fiet diaboli mancipium.*  
S. Ephrem in Beatitud.